

sicut etiam parochias, exigentibus ita a Tridentino Concilio designatis rationibus, cum beneplacito tamen gubernii, dividendi vel cooperatores multiplicandi.⁵³

Altera autem medietate saeculi XVIII, sub influxu idearum liberalium de Gallia et Febronianismi, etiam in republica Venetiarum coepta est a civili potestate famosa aequae ac dolorosa reformatio monasteriorum, quae ad Dalmatiam quoque extensa fuit.⁵⁴ Occasione executionis ejus et ab episcopis Dalmatiae quaerebantur testimonia de parochiis franciscanis provinciae SS. Redemptoris, unde ex ipsorum responsionibus praeclara documenta de statu reali et juridico paroeciarum secundum eorum convictionem habemus, quae saltem ex parte proferre non nocebit. Jussu nempe Deputationis extraordinariae ad pias causas Provisor Generalis Gradenigo a. 1775 ab Ordinariis locorum, in quorum dioecesibus Franciscani parochias possidebant, tria quaesivit: utrum istae parochiae prioribus temporibus ab aliis administratae fuerint; quid de hodierno eorum hujusmodi officio sentiant; quibus de rationibus aliquae Franciscanorum parochiae nunc a presbyteris saecularibus administrantur?⁵⁵ Ad quae respondit episcopus Nonae proscitu nempe suo parochias in sua dioecesi, a Franciscanis administrari solitas, semper ita ab ipsis administratas fuisse ac in praesenti administrari neque opus esse eosdem

sollecitudine e puntualità vengano esercitate da parrochi le loro incombenze». *Ibidem*, 96—97, 101.

⁵³ »È vero che V. S. ha ordinato, che monsignor vescovo provveda le vaste parrocchiali di coadjutori (o siano cooperatori nella cura), ma non ad arbitrio con rendere simili coadjutori indipendenti da parrochi e non moltiplicar parrocchie contro la mente pubblica espressa nel prelodato decreto, ma giusta il prescritto de sacri canoni, e non altrimenti». *Ibidem*, 104.

⁵⁴ De hac reformatione optime scripsit P. Vladimir Radonić, *Die Klosterreform in Venedig (1767—1770)*, Šibenik 1935; cfr. etiam Zlatović, o. c. 299ss.

⁵⁵ Marković, *Le parrocchie*, 37. Inter alios articulos reformationis erat et prohibitio vestitionis et ad novitiatum admissionis in ordinibus religiosis. Cum vero Franciscani provinciae SS. Redemptoris cum populo saepius instarent, ut talis prohibitio propter eorum exceptionalem statum et officium pastorum populi auferretur, gubernium ante suppressionem prohibitionis omnes informationes de jure et statu provinciae habere voluit. Cfr. de hoc Zlatović, o. c. 298—305.